

salutem necessaria est omnino, sic ab omnibus prorsus requiritur. Sunt autem rursus in hac utraq; perfectione certi gradus. Nam quod ad posteriorem attinet, sunt qui virtutis ut plurimum sunt studiosi, quod est habitum virtutis habere, sed egrè tamen & non sine lucta, eaq; magna: sunt qui minori cum lucta & modestia virtuti incumbunt, & opera bona exequentur: sunt deniq; qui absq; omni lucta cum summa animi letitia officium faciunt, & non tantum bonis operibus student, verum etiam iisdem delectantur. Omnes tamen hi censentur in statu salutis esse Deo confidere, non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulare. Hac tamen cautione, ne illi qui cum lucta magna, aut etiam non magna, faciunt voluntatem Dei, sentiant sibi in ista sua imperfectione non licere ita hærere; sed semper eo contendere, ut si non s. imper, saltem plerumq; cum magna animi sui letitiâ, quæ Deus præcepit, exsequantur. Quod vero ad priorem perfectionem attinet, nemo est qui non videat, quam variis in ea gradus dentur, ita ut ferè in singulis diversus hac in re profectus apparere possit, prout quisq; annexus fuerit, ut quam proximè ad istum scopum collimet. Etiam si autem difficillimum sit propter carnis infirmitatem, ut homo ad istam perfectionem re ipsa perveniat, non est tamen prorsus impossibile, & voluit Deus, ut ad eam tenderemus &c. Huc usq; Smalzius,

S. IX.

Duplicem esse impletionem legis, alteram absolutè perfectam, cui nihil deest ex omnibus illis, quæ in lege præcepta sunt, tam quoad partes, quàm quoad gradus; alteram secundum quid, quæ multam infirmitatem agnoscit, omnes orthodoxi concedunt, quod verò prior ad salutem non sit necessaria, & in Dei ipsius, quippe auctoris decalogi, & in legis divinæ ignominiam redundaret; absit hoc igitur, ut admittamus. Notum est aliàs, quod nulla lex, etiam humana, ad non-observationem publicetur, sed omnes leges, cujuscunq; sint conditionis, ad observationem promulgentur: multò minus Deus, ut veritas immutabilis, tam futilis erit legislator, ut figat ac refigat; sed ea, quæ præcepit, pariter vult à nobis constanter & accuratè observari, nisi in æternum pereun-